

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

434

432

438

428

443

423

483

383

533

333

Ende

Anfang

423

circa aram maximam muniunt; idem ferme ornatus est et vestibili, quod a fronte dextra laevaque templo adjacet, cuius aureae fornices exteriore parte CCC et amplius fulciuntur columnis, non tam magnitudine sua quam colorum varietate conspicuis, intercolumnia et quidquid omnium est, marmoreis tabulis pro tectorio renitet. In vestibuli fastigio a fronte quatuor aenei equi auro micantes alaci statu prominent, opus eximum, nec quidem nostri saeculi. His operosum templi supercilium incubat, senis sese explicans pinnaculis, quorum singula in tabernaculi speciem surrecta singulas habent ex candido lapide statuas, nudi genii aliaque suavissimi aspectus simulacula, suo quaque statu operibus inserta. Miro quodam modo ipsam pinnarum exornant intercapelinem, idem opus, eandem materiam tam dextrum latus quam laevum habet, et id, quod sub his convexit, id nihil est nisi aurum. Brevi, nullus est inter aedem locus, nullus quidem extra, qui non auro sit aut marmore aliove pretioso lapide conspicuus, ita ut geminae ex alabastro columnae post aram maximam stantes, et sex septempedales Chalcedonii, qui pavimento inserti visuntur, nihil in tanta opulentia habeant admirationis. Sed quod his mirabilius, in alto testudinis simulacrum evangelicorum virorum, Dominici et Francisci, reluent, qui ante eorum primum ortum quodam divino praesagio ibi dicuntur formata habitu et signis, quibus post eorum canonisationem in ecclesiis depinguntur. Caeteraque multa admiratione digna ibi cernuntur. Hanc ideo oratores historici auream nominant, ob id, quod paene tota auro munita est. Et tantum de illo.

Praeter hanc sunt Venetiis LXXII parochiales ecclesiae et monasteria omnium ordinum. Ordinis et regulae S. Benedicti sunt ibi monasteria multa omnium differentiarum, degentium sub eadem regula.

In portu Veneto, inter mare et civitatem, est grande S. Nicolai monasterium, quod 33. dux Venetorum, Dominicus, aedificavit anno Domini 1042. Singulariter tamen fratres Praedicatorum et Minores ibi habent egregios (b) conventus: nam fratres Minores tres habent ibi conventus, scilicet conventum majorem cum insigni ecclesia et turri grandi et altissima, cum multis campanis; non tamen est conventus reformatus. Secundus conventus est ad

